

*Apoll. lib. II. c. 1.) & oves mactabantur. Ex volucribus Pica, quia garrula est, ob ebriorum garrulitatem, item Jynx. E plantis vero sacra fuerunt Quercus, Vitis præcipue, Hedera, & quæ sunt alia innumera, quæ legi possunt apud Gerb. Job. *Vossium de Theologia Gentili Lib. IX. cap. 29. p. 274. seqq.* & *Lib. I. cap. 30. p. 118.* ubi varia de orgiis inveniuntur, analogiam quandam cum sacris historiis habentia. Habitum Baccharum Mænadum, sive mulierum rabidorum Ovid. VI. *Metams.* v. 596. ita describit:*

*Vite caput tegitur; lateri cervina sinistro*

*Vellera dependent; humero levis incubat hasta.*

Sane ejusmodi ritus apud Christianos undique in usu non sunt; neque Phallagogia, neque Omophagia &c. Quomodo ergo Anonymus tam ruditer & crude dicere conatur, daß die Christen im geringsten nichts unterlassen / mas die Heiden an Bacchus-Fest getrieben? Dices; Atqui ipsi Ethnici turpissimas hasce ceremonias ac ritus abjecerunt, ac eorum loco alias adhibuerunt, quas Christiani continuarunt. Sed respondeo: Ethnici quidem ipsi olim Bacchanalia e Roma ac Italia remoyerunt, sicuti Polyd. Verg. l. c. p. 243. recenset: *Verum, inquiens, ad extremum tantorum scelerum indicio, ad Sp. Posthumum Albinum & Q. Mart. Philippum COSS. delato, religio pestifera extincta est, anno II. C. DLXVI.* Sed & hoc est sciendum, illos ritus ac turpitudines non solum apud Ægyptios, Græcos, aliasque gentes, mansisse, sed etiam denuo apud Romanos irrepsisse. Primo enim Tertullianus expresse dicit: *Apolog. c VI. p. 24. edit. Pamel.* *His vos restitutis, summam Majestatem contulistiſ &c.* In antecedentibus sermonem quoque fecerat de Bacchanalibus, a Majoribus Romanorum abolitis (*Librum Patrem, inquiens, cum mysteriis Consules Senatus autoritate non modo urbe, sed universa Italia eliminaverunt*) Posteros vero eo majori pompa & Majestate rursus introduxisse hæc commemorat. Deinde, si Romani, aut Ethnici ejusmodi Bacchanalium abominationes & petulantias pessimas tempore Patrum non admisiſſent; cur propterea a Patribus objurgarentur? Ex. g. *Aglemen-*

C

te